



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mataëologia Labadiana: Das ist; Widerhohltes und vermehrtes Bedencken/ Was nach anweisung der Heil. Göttl. Schrift und Gottseeligen Antiquität/ wie auch der gemeinen Evangelisch-Lutherischen/ ...**

**Nifanius, Christian**

**Bilefeldt, 1673**

Admodùm Reverendæ Facultatis Theologicæ in illustri Academia Rinthelensi de Mataëologia Labadiana Judicium & censura. Gratiam & Pacem à Domino nostro Jesu Christo!

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35601**

*Admodum Reverenda Facultatis  
Theologicae in illustri Academia Rinthelesi  
de Mateologia Labadiana Judicium & censura,  
Gratiam & Pacem à Domino nostro IESU  
CHRISTO!*



Chismatici sunt; inquit Irenaeus lib. IV. advers. hereses cap. LXII. qui schismata operantur, qui sunt immanes, non habentes Dei dilectionem, Inamq; utilitatem potius considerantes, quam unitatem Ecclesiae, propter modicas & quaslibet causas, magnum & gloriosum corpus Christi conscindunt & dividunt, & quantum in ipsis est, interficiunt, loquentes pacem & bellum operantes, verè liquantes culicem, & camelum transglutientes. Nulla enim ab eis tanta potest fieri correctio; quanta est schismatis pernicies. Quibus S. Martyr ante hoc mille & quingentos annos in compendio ferè dixit, quae Theologi nostri de hac materia prolixè persequuntur hodie. Nempe ἀπὸ τῆς σχίσεως à findendo scindendoq; dicitur σχίσμα, viq; vocabuli quamlibet scissuram significat, aut rupturam, quae in Republ. figuratè fieri dicitur, quando civitas secum ipsa discors intestinis inter potiores sui partes dissidiis agitatur; Ad civitatem Dei translata, tum demum creditur suboriri, quoties animis in transversum raptis, pax Ecclesiae rumpitur, & unitas, mystici corporis compages temere solvitur, nec consociationem inter se amplius membra illius colere volunt, aut tueri; sive, quemadmodum loquentem modo audivimus Irenaeum, quando propter modicas, imo quaslibet causas, magnum & gloriosum Christi corpus conscinditur, dividitur, & si fieri queat, prorsus interficitur.

Haecenus ergo schisma nihil aliud est, quam distractio Ecclesiae in partes, ex quacunq; demum causa oriatur, sive modica illa sit, sive pregnans, sive magni ponderis, sive nullius. Schismati suo causam praetexere, si non justam, certè mag-

nam nec immerito censentur, qui ab Ecclesia, Catholica facturi divortium, in illis Christianae fidei capitibus, in quibus salutis nostrae cardo vertitur, scismati suo praesidium querunt, eorumque partem, vel negant, vel impugnant. Ad hanc schismaticorum classem referuntur omnes, quotquot à Simone Maggo, haereticorum facile coryphæo, in hunc usque diem Ecclesiam Christi miserè disturbarunt:

Specialiori autem significatu illi demum appellantur schismatici, qui de fundamento fidei, ut cunq; hactenus probè sentientes, ob defectum tamen Christianae charitatis, vel ex superbia vel ex libidine dominandi, vel ob dissensum in caeremoniis, aut questionibus juxta enatis, Ecclesiae unitatem scindunt, & quantum in ipsis est, inconsutilem Salvatoris nostri tunicam discerpunt, dilacerantque.

Defectum hujus charitatis totidem verbis inter causas schismatis retulit noster Iræneus; Per considerationem autem utilitatis propriae, fastum intellexit, & imperandi pruritum; per modicas causas rituum differentiam, quasque modo nominavimus, quae quaestiones annatas, si una pertinacia abfuerit, nihil magnoperè nocituras.

Est autem unitas illa Ecclesiae, quam dicere modo occupavimus, alia interna, quae in vera fide ac charitate proximi; alia externa, quae in fraterna communione, & professione unius fidei consistit: Externam, quae à fraterna communione nomen accepit, tolli, penè potius eradicari per schisma, in aperto est utpote quod formaliter dissidium atque dissensionem animorum importat, cum dicta illa unitate, in fraternae communione posita, stare nesciam. Quod intactum minimè reliquit, citato loco, noster Jerenæus, quando, propter absentiam hujus charitatis ad esse debite, immanitatem, schismaticis tribuit, animumque crudelitatem ac servitiam usque adeo imbutum, ut in super habito publico Ecclesiarum bono, non privati solum commodi dulcedine cuncta metiri velle, sed gloriosum in super Christi corpus, h. e. Sanctam ejus Ecclesiam, quantum in ipsis est interfecuri esse videantur.

Externa Ecclesiae unitas, quam in consensu doctrinae Catholicae sitam esse modo dicebamus, non semper, certè non statim initio schismatis collitur. Fieri enim potest, ut

de Christiana fide cetera sentiens orthodoxè, ex allatis quatuor rationibus unitatis vinculum dirumpat, factionibusq; institutis, altare erigat contra altare, & res novas in Ecclesia Dei moliat. Progressu autem temporis, si non per se, saltem per accidens, aut ex eventu contingere solet, ut, qui ex levi causa Ecclesiam distraxerunt in partes, hujus sua temeritatis pœnas luant condignas, & in hæresin deniq; probantur, eamq; vel serò probent, vel saltem confingant, ut ab Ecclesia meritò recessisse videantur, quemadmodum scitè alicubi arbitratur Hieronymus.

Hæ sunt modicæ illæ causæ, quarum mentionem iniecit Irenæus, & pax, quam schismatici simulatè loquuntur, omnes ita comparatæ, ut si astutia homines non destituat, cum externa professione fidei bene stare possint.

Quicquid autem sit, de externa hac fidei professione & simulato doctrinæ consensu, unitas certè interna in fide & charitate fraterna sita, per schisma penitus affertur. Maximè siquidem disjuncta sunt hæc duo atq; contraria, Charitas fraterna, & Ecclesiæ distractio, nata ex odio erga fratres, eorundem sacrorum participes, ac futurae beatitudinis coheredes. Sed nec absq; charitate interna fidem salvificam stare posse, contra Pontificios quosdam Doctores alibi docetur, quod hic repetere instituti nostri non est. Videatur Johannes Musæus, Theologus incomparabilis insigni opere de Ecclesia.

Nobis in præsentia, satis est ostendisse, B. Irenæum paria docere, cujus de charitate sententiam plus quam simplici vice memoratam, denuo transcribere nihil attinet. De fide consequenter loquitur, quando schismaticos docet esse hypocritas, culicem liquantes, & deglutientes camelum, eosq; negat habere dilectionem Dei. Quorum utrumq; ita comparatum est, ut cum fide salvifica, pariter unaq; ne concipi quidem possit. Discrepat enim, hypocritam esse, sive fidem simulare, & tamen revera imbutum esse fide salvificâ, repugnat itidem, revelationi Divinæ assensum & obsequium prestare, nec Deum tamen, pro eo ac decet, debito affectu venerari.

Ex quibus facile intelligitur, quam sedum crimen sit, in-

restit-

testinum hoc, atque domesticum Ecclesie malum, cuius insa-  
nabili pernicie salvifica fides excutitur, magnumque ac glo-  
riosum hoc corpus mysticum à Capite suo Christo, cuius influ-  
xu moveri spiritualiter ac vegetari debebat, planè separatur.  
Unde fit, ut quando quis Ecclesiam in terra hoc modo matrem  
habere desierit, desinat etiam in cælis Deum habere Patrem,  
non nisi ministerio Ecclesie, inq; illius gremio Spirituales sibi  
filios generantem: Quod de illis, qui extra Ecclesie pomeria  
constituti, Dei dilectionem (uti Irenæus inquit) amplius  
non habent, nec cogitari quidem sine absurditate potest.  
Denique Charitas, vinculum illud perfectionis, per Schisma  
cordibus hominum radicatus evellitur, desinuntque mutua  
Christianorum officia & Proximi dilectio, quæ post amorem  
Dei in Scriptura nobis tantopere commendatur, & absque  
qua sit, quicquid agas in super vacuis, aut ex super vacuo labo-  
ratur Si linguis hominum loquar, inquit Apostolus, &  
Angelorum, charitatem autem non habeam (hoc est nisi  
adfuerit studium bene merendi de proximo, Deiq; illud do-  
num, quod in me esse supponitur, in communem usum confe-  
rendi) factus sum veluti æs sonans, aut cymbalum tinni-  
ens: Et, si habuero Prophetiam, & omnem Scientiam, &  
si habuero omnem fidem, ita ut montes loco movere pos-  
sem, charitatem autem non habuero, nihil sum, & si di-  
stribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si  
tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem  
non habuero, nihil mihi prodest.

Ne quis autem arbitretur, sanguinolentam hanc mali gan-  
granam singulos statim articulos Schismaticæ cujusdam Ec-  
clesie permeare, idem periculum ex æquo imminere omnibus,  
sive suo, sive aliorum vitio in eodem luto hereant, aut, quod  
subinde in rem conferri docet experientia, ante Schismati im-  
plicentur, quam quid optimum hac in parte sit, judicare didi-  
cerint; Non de quibusvis in Schismate viventibus, tam im-  
mitem sententiam pronunciat Irenæus noster, sed de ijs dun-  
taxat, qui Schismata operantur. Aliud enim est, facere  
aut fovere Schisma, aliud, in Schismate vitam innocenter  
tolerare. Schismata faciunt primè seditio-nis Auctores,  
eadem fovent, qui schismata operantur, & pro virili portio-

ne impediunt, quominus diversae partes in concordiam redeant. In schismate vivunt, qui non satis edocti, utrà in parte schismatis culpa resideat, adeoque quo se vertere debeant nescii, in schismaticorum caetibus manent, ipsum tamen schisma toto pectore detestantur. Hos, si malitia abfuerit, simplicitas sua excusabit, & ignorantia praesertim, si fuerit insuperabilis. De illis, dicit Paulus in epist. ad Galatas: Qui conturbat vos, quisquis fuerit, condemnationem reportabit.

Primam in Ecclesia Catholica Seculo III. occasionem praebuit schismati Novatianus, Ecclesiae Romanae Presbyter, tantique facinoris paulo post Minister, Socius, Adjutor, Novatus, Vir, novarum rerum semper cupidus, avaritia inexplebilis, rapacitate furibundus, arrogantia & stupore superbi tumoris inflatus, semper isthic Episcopis malè cognitus, curiosus semper ut prodar, ad hoc delator, ut fallat, nunquam fidelis ut diligat, fax & ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo & tempestas ad fidei facienda naufragia, hostis quietis, tranquillitatis adversarius, pacis inimicus, quemadmodum ipsum in epistola quadam, suis depinxit coloribus Cyprianus. Hic Novatianus, Apostatis, suppliciorum metu lapsis, ethnicamq; idolatriam professis, nullo penitentiae regressu, omnem veniae reditusq; ad Ecclesiae Christianae gremium, spem praclusit, ut maximè de peccato illo, in se admissio, graviter dolerent.

In initio Seculi IV. prorupere Majorinus & Donatus, novi schismatis Architecti, quod ex modica, imo levissima causa excitatum (Mensurio etenim, Carthaginensium Episcopo, successor datus non erat, ex duorum virorum & unius feminae sententiâ) in tantas flammâs excrevit, ut seculari deniq; brachio compesci opus habuerit, quemadmodum testatur Augustinus epistolâ L. Causam schismati, corruptos Ecclesiae mores uterq; praetexuit, adeoq; Novatianus se suosq; appellavit Catharos, quod cum immundis, inq; grave aliquod peccatum prolapsis, quamvis penitentiam praesferentibus, communicare detrectarent. Donatistae autem bonos cum malis idem templum ingredi, sanctâque cenâ simul frui posse, negabant, quin cenâ illorum ac sordibus inquinarentur. Quae quamvis in initio, non sine externa aliqua probabilitatis specie jactarentur.

tur, ipsaque Ecclesia Dei, identidem reformatione quadam in-  
 dignisse videri poterat, nulla tamen ab eis (quemadmodum  
 noster Irenæus ex re & vero censet) tanta fieri potuit cor-  
 rectio, quanta erat schismatis illius pernicies. Quod No-  
 vatiani quidem tempestate, qua firmandæ contesserationi suæ,  
 sanctissimo Ecclesiasticæ Mysterio abutebantur, in manifestam  
 impietatem abiit, temporibus autem Donati, in heresin de-  
 nique conversum est. Ut enim nihil dicamus, quod mino-  
 rem Patre Filium fecerit, Augustino teste, Donatus, mino-  
 remque Filio Spiritum S. id certum est, constatque inter o-  
 mnes, quod Ecclesiam Catholicam, toto orbe dispersam, non  
 crediderit amplius, sed illam exiguo Aphricæ angulo con-  
 cluserit, & à se, hac in parte, dissidentes Catholicos igni fer-  
 roque fuerit persecutus.

Vestigiis horum schismaticorum pressè insistant, qui nostrâ  
 Patrumq; ac Avorum memoriâ, idem saxum volvere studia  
 habuerunt, Ecclesiamque plurimas in partes, imo particulas  
 frustillatim discerpere, toto corpore atque ungviculis, ut in pro-  
 verbio dicitur, fuerunt annisi.

Primus, aut in primis, qui in hoc mustaceo laureolam ante  
 sesquiseculum quæsit, est Nicolaus Storckius, revelationum  
 Divinarum vanus jactator. Hic, totum terrarum orbem ope  
 sua mundatum, impiosq; ad unum omnes è medio sublatum iri,  
 somniabat, pro sceleratis habiturus universos, quotquot castra  
 sua sequi detrectarent. Storckium hunc excepit Thomas  
 Müntzerus, rustica per Germaniam seditionis fax actuba, bi-  
 pedum facile nequissimus, quique per omnia eum Novato (qua-  
 lem supra descripsimus) comparari merebatur. Müntzerum  
 hunc, Anabaptistici furoris antesignanum, sequutus est Johan-  
 nes Mathisius, pistor Harlemensis, homo indoctus, faver ta-  
 men, & audacis eloquentiæ, qui decrepita, ut ajunt, uxoris  
 pertasus, cerevisiarii cujusdam filiam ardere cepit, eique, ut  
 voto potiretur varii generis visiones mentitus est, quibus illa,  
 ut fit, decepta, Amstelodamum cum adultero concessit, ibique  
 præclarum illum Dei antistitem, alterumque Enochum (quo-  
 modo seipsum vocitare consueverat) ad satietatem usque ex-  
 perta est: variis deinde Apostolis, Amstelodamo in Germa-  
 niam emissis (inter quos Johannes Bokoldus, Leidensis sar-

zor, Historicis præcipuè commemoratur) Ipse Monasterium profectus est, ibidemque miras tragædias excitavit, Jacobo Campensi, in locum suum Ambstelodami suffecto. Successere, Hermannus Sutor Optzantensis, Theodorus Sartor Ambstelodamensis, David Georgius Delphico-Batavus, Balthasar Hubmejerus Ecclesiastes Ingelstadiensis, Johannes Hut, Ludovicus Hetzerus, Melchior Hoffman, pellio Argentoratensis, Melchior Rinck, Adam Pastor Dorpensis, Henricus Nicolai Charitatis, quemadmodum sibi ipsi hoc nomen dedit, domicilium, aliique sexcenti, quos nominare nimis longum foret, ita multi sunt.

Ex hoc Anabaptistarum Schismate, velut ex equo Trojano, non per omnia quamlibet cum illis undique concordēs, prodire postmodum, integræ schismaticorum familie, in quibus sunt, qui Quærentes appellari gestiunt, aut Expectantes, Antinomii, Congregationales, Libertini, Millenarii, Non-Conformistæ, Separatistæ, Brunistæ, Ministæ, Independentes, Quackeri, quiq; nuper ab Ecclesia Reformata secessionem fecit, novoq; paxillo veteres Donatistarum errores suspendit IOHANNES de LABADIE peculiaris Sectæ Conditor, in quibus, si non omnibus, certè plurimis, verum esse deprehenditur, quod ex Hieronymo superius attulimus, vix nimirum esse schismaullum, quod non (procedente tempore) aliquam confingat hæresin, ut ab Ecclesia meritò recessisse videatur. Atque hinc factum esse liquet, ut, qui propter pædobaptismum, prætensamque Magistratus tyrannidem, unitatem Ecclesiæ in initio rumpere bonum factum arbitrarentur: mox in pudendos errores prolapsi, ex Schismaticis citò facti fuerint heretici.

Ita de Muntzero testatur illorum temporum historia, quod à nominatis supra dogmatibus, schisma suum exorsus, successu temporis, Scripturam sacram non esse verbum Dei, Christum pro peccatis hominum non fecisse satis, impio ore blasphemaret. Hermagnus Sutor, ex iisdem Initiis eo impudentia prolapsus est, ut se verum Messiam, mundi que Redemptorem, imo Deum Patrem esse profiteretur. David Georgius primum Schismaticus & Anabaptista, mox Hæresiarcha, docuit omnium peccatorum adversus Deum Patrem, Filiumque commissorum



missorum gratiam delinquentibus fieri posse, quicquid autem  
adversus se, hoc est Spiritum Sanctum, Christo majorem factum  
fuerit, delictum ve, id neq; in hac neq; in futura vita condo-  
natum iri. Ludovicus Hezerus, ex Nicolai Storckij &  
Thomæ Muntzeri, familiarium suorum doctrina, schisma-  
ticum initio virus, & anabaptisticam disciplinam hauserat,  
cui mox ipse hæresin liberaliter adjecit, Christumq; Patri suo  
homouision esse, sine fronte negavit. Reliquorum autem, ut  
in compendium dicta conferamus, si non omnium (atq; uti-  
nam non omnium) certe plerorumq; par ratio esse videtur;  
per quorum schismata, tanquam per rimas, penè potius fene-  
stras latè patentes, hereticam pravitatem, aut exitiales saltim  
consequentias, aberrantibus quamlibet nondum fortè admis-  
sas, identidem videre, & veluti in clara luce positas contem-  
plari licet: Ut vel hinc manifestum sit, manibus pedibusq;  
id operam esse dandam sedulo, ne tot tantorumq; malorum  
lerna in Ecclesiam Dei grassetur; aut si mortalium vitio, gan-  
græna illa serpere cœperit, ne grassetur impune, sed quanta  
maxima celeritate fieri queat, miltia primum fomenta vulne-  
ribus, aut si ad sanitatem non sufficiunt, tristiora reme-  
dia laboranti corpori admoveantur; saltim, ne pars hacten-  
us sincera trahatur in exitium, schismaticumq; illud ca-  
coethes, reliqua Ecclesiæ membra, tanquam calamitosa ali-  
qua tempestas, pestisq; pervadat.

Quæ cum ita se habeant, ritè profecto faciunt atq; ordine,  
quotquot ex Christianæ Ecclesiæ Doctoribus, quos veluti Ex-  
cubitores è specula futuram tempestatem prospicere Deus ius-  
sit, malo huic obviam ire, & si fieri queat, serpentem in  
herba opprimere studio curæq; habeant, cumq; Catholicæ Ec-  
clesiæ perduellibus manus conferere non dedignantur.

Quod cum presenti libro (cui modo prefamur) præclara  
fecerit Recentiorumq; Sectariorum placita, quorum pars  
Ecclesiam in hunc usq; diem turbat, magno labore, debi-  
taq; diligentia excusserit Vir plur. Reverendus & Excel-  
lentissimus DN CHRISTIANUS NIFANIUS SS. Theol.  
Licentiatius, Potentissimi Electoris Brandenburgensis  
Consiliarius ac Superintendens Ravensbergius Dominus  
& in Christo Frater noster Honorandus non possumus non  
D S egre-

egregium illius de Ecclesia bene merendi studium vehementer commendare. *Quemadmodum enim inveteratis erroribus, ex proluxa annorum serie, quæri patrociniū, hiriq; aut nudius demum tertius enata, pro veteribus venditari equo animo non patimur: Ita Recentiorum tamen quorundam & in his JOHANNIS LA BADIE (contra quem inter alios EXCELLENTISSIMUS NIFANIUS calamum laudabiliter & erudite strinxit) immanes ausus minimè probamus, qui sententias vetustate robustas, ex summo studio pervertere, peregrinamq; novitatem genuinæ antiquitati præferre pensi nihil habent.*

*Gratulamur itaq; Eximo Theologo de exantlatis illis, inq; publicum dubio procul profuturis laboribus, Deum obsequiosè venerantes, ut ipsius conatibus ex alto benedicere, laborantiq; Ecclesiæ suæ porro suppetias ferre, eamq; in tot, proh dolor! partes miserè scissam, ad unitatem, conglutinatâ quâdam concordia, tandem reducere, ne dedignetur. Script. Rinthelij in Academia Hasso-Schaumburgica XX. Septemb. clis Ids LXXII.*



Decanus, Senior & reliqui Professores Facultatis Theologicæ in Academia Rinthelensi.

Exer-